

A **Causam** turbationis istius ac deiectionis reddit versibus 3. 4. 5. ubi dicit: Propter iram tuam, propter peccatum meum. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum. Quidam exponunt hanc iram, peccatum & iniquitates, per metonymiam, ipsum esse morbum, ex ira Dei & propter peccata commissi inflictum: ut quod iniquitates caput suum supergressas esse dicit, idem sit atque, morbum plane inualuisse. Vt ut accipiamus, satis ostendit, agnoscere se morbi istius causam esse iram Dei, propter scelera sua in se accensam. Et sane omnium esset utilissimum, dolorem corporis ex morbo vel ulcere, loco peccati habere, & peccati etiam vocabulo appellare: ut vel hoc pacto ad detestationem peccatorum & horrorem induceremur.

Verf. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

9. Domine coram te est omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

10. Cor meum circumagitur, deseruit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsi non sunt mecum.

11. Amici mei & proximi mei contra plagam meam steterunt, & vicini mei a longe steterunt.

12. Et insidias posuerunt, quarentes animam meam: & qui studiosè machinantur adversum me malum, loquuti sunt iniqua, & fraudes meditati sunt tota die.

13. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

14. Et fui sicut vir qui non audit, & in cuius ore non sunt redargutiones.

15. Quia te expectavi Domine, tu respondebis Domine Deus meus.

16. Quoniam dixi, Ne fortè latentur super me: simul atque, nut auerit pes meus, insultent mihi,

17. Quia ego claudicationi iam deditus sum, & plaga mea coram me semper.

18. Quoniam iniquitatem meam patefaciam, malè me habet peccatum meum.

19. Et inimici viuentes robusti facti sunt, & multi qui me odio habent sine causa.

20. Et qui mihi mala rependunt pro beneficentia, aduersantur mihi, propterea quod bonitati studeo impensius.

21. Ne deseras me Domine Deus meus, ne longè absis a me.

22. Accelera ad auxilium meum, Domine salutis meae.

B **Et ipsi non sunt mecum.**]Ebr. אִין אִתִּי Græc. & vulg. Lat. Et ipsum non est mecum. Hieron. Etiam ipsa non est mecum. Sic & Iustin. Felix: Insuper etiam ipsi non sunt mecum. **LCE TIO.** Verf. 10.

Contra plagam meam.]Ebr. מַגְרַתִּי Græc. & vulg. Lat. Aduersum me appropinquauerunt. Hieron. Quasi contra lepram meam steterunt. **Verf. 11.**

Et insidias posuerunt.]Ebr. יָבִישׁוּ Græc. & vulg. Lat. Et vim faciebant. Chald. Et fecerunt laqueos. Hieron. Et irruebant. Sic & Iustin. Felix: Et posuerunt tendiculam. Pagn. Et illaquearunt me. **Verf. 12.**

Quia ego claudicationi iam deditus sum.]Ebr. בִּי אָגִיד לְךָ עֲבֹתַי Græc. & vulg. Lat. Quoniam ego in flagella paratus sum. Hieron. Quia ego ad plagas paratus sum. Iustin. Quia ego ad fracturam paratus sum. Felix: Quoniam ego ad interitum paratus sum. **Verf. 17.**

Malè me habet peccatum meum.]Ebr. אֲרָא אֲנִי מִתְּשֻׁבָּה Græc. καὶ μὴ ἐμὴν ἴσθαι τῆς ἀμάρτιας μου. Vulg. Lat. Cogitabo pro peccato meo. Hieron. & Iustin. Sollicitus ero pro peccato meo. Pagninus: Timebam propter peccatum meum. Reliqua satis concordant. **Verf. 18.**

Explicatio
Versus 9. & 15. ad tertiam Psalmi partem referendi sunt, qui fiduciam & spem in Domini fidem & gratiam exprimunt: quam commodum querimonie intermiscet, ad confortandam fidem in precatione. Et versu 9 conscientiam Dei appellat. q. d. Domine omne desiderium meum & suspirium meum tu nosti, qui corda probas & renes: tu scis quæ sint ad te suspiria mea, quæ vota. Versu verò 15. non solum qua fuerit hactenus erga Deum fiducia & spe, sed & qua etiamnum sit declarat, dicens: Quia te expectavi Domine, tu respondebis Domine Deus meus.

Versus 10. pertinet ad præcedentes versus, quo voluit ad perfectum exprimere & exaggerare dolorem ac deiectionem suam. Q. d. Quid de carne & ossibus dico? Cor meum circumagitur & periclitatur, virtus omnis deseruit me, & lumen etiam oculorum extinctum est præ magnitudine doloris.

Versus 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. ad alteram partem Psalmi pertinent, in quibus ea queritur, quæ extrinsecus ita calamitose acciderunt: idque non solum ab inimicis, sed & ab amicis: id quod aliquot locis alibi quoque queritur. Sentiebat eos, quos tempore prospero habuerat amicos & notos, rebus aduersis in sinu gaudere, & optare exitium sibi, atque ita malum reddere pro bono: videbat se propter vlcus exitiosum horrore esse amicis & cognatis: intelligebat machinari quosdam fraudulentam perniciem: præuidebat quanta lætitia insolescentes futuri essent, si morbo isto sibi fuisset hinc migrandum. ex quibus omnibus satis animaduvertebat, quod suis esset odio sine causa. Ita itaque ad cumulum reliquæ calamitatis adiungit, ut plerunque vsuuenire solet, dum nulla calamitas & afflictio sola corripit mileros mortales. Et certè ista non modicam doloris & afflictionis materiam habent: quemadmodum plurimum ad solatium mœstis animis facit, si repererint condolentes.

Versu 21. & 22. absoluunt precationem: qua nihil aliud facit, quam quod se fidei Domini commendat, **E 4** **mendat,**